



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies
Distribvtis**

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

S. Pontius M. 14. Maii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

246 VITÆ SANCTORVM. 14.Maii.
cūm ei nepos vehementius succenseret, ab imagi-
ne DEIPARÆ, totidem alios tulit. Recepit itaque
suum nepos, plus utique accepturus, si fœnon-
moram dedisset. Ex Dial.S.Greg.

Magna res homo, & pretiosa vir misericors. Ha-
major gratia, quām mortuos resuscitare: multò namque
majus est esurientem pascere Christum, quām in nomi-
ne JESV mortuos suscitare; nam illic tu de Christo ben-
mereris; hic autē ipse de te. S.Chrys.hom.36.ad Pop.

S. P O N T I U S M. 14.Maii.

PONTIVM vides, cuius operā factum est, ne mil-
lesimus Romanæ urbis annus dæmonibus
consecraretur; quod futurum iidem, PONTIO ad-
huc matris ventre abdito, permisso Numinis
agnoverunt. Julia, id mulieri nomen fuit, Matr-
senatoris Rom.uxor, eo grava, delubrū subierat,
cūm repente Flamen furii incitatus, concerpta
mitrā, hostem Deorum aedes exclamavit, uterum
detestans in perniciem Jovis fœcundum. Julia
vaticinatione perculta, fœtum necquidquam de-
pellere abortu institit, nato etiam vim allatura, nū
pater vetuisset, utiq; enim Diis ad unum puerum
perdendum satis fore virium. Contigit deinde
PONTIVM, audito Christianorum carmine, quo
Deorum vanitas irridebatur, Religionis amore
capi; haustam etiam patri instillavit, purgataque
à Deorum larvis domo, primum id formidata
dæmonibus indolis specimen dedit. Patris mortui
dignitate aditâ, Philippis Imp. familiari usu con-
junctus est, qui cūm in millesimum urbis annum
sacrificium Diis pararent, ab eâ mente Ponti
oratione deducti, Christo nomina dederunt, ejul-
que Numini Romanum Imp.dedicarunt. Valen-

14.Maii. VITÆ SANCTORVM. 247
no & Gallieno imperantibus, accusatus impietatis
PONTIVS, & equuleo impositus, machinam pre-
cibus rupit. Ursos in se incitatos cicuravit, togum
extinxit, gladio denique cervices subjecit, usitatâ
Sanctorum modestiâ, quorum plerique capite im-
minuti sunt, superbis puto instituendis hâc potis-
simum parte indomitis. Ex Surio.

Cum homines quotidianie immaturo præventi rapiantur
interitu, quid restat, nisi ut hoc brevi puncto, quo vivi-
mus, lapsura quæque velut jam lapsa despiceremus, & ad
ea, quæ permanent, pleno fervide mentis studeamus de-
siderio festinare? S.Petr.Dam.op.12.cap.13.

SS. VICTOR & CORONA MM.

14.Maii.

Auspicatissima nomina suosque triumphos
loquentia, VICTOREM & CORONAM da-
mus. Qui tamen sortitò hæc accipis, laboriosæ fe-
licitatis omen accipere te memento; nam cum Vi-
ctore quis Hercules se componat? Age numere-
mus Magni Herois labores. I. Digitos articulatim
elidendos sine gemitu præbuit. II. In Fornace ac-
censâ triduum desedit. III. Carnes veneno adipa-
tas concoxit. IV. Nervos distendi, solviisque com-
pagem corporis ridens tulit. V. Oleum ferre fa-
ctum eodē quo gelidam vultu hausit. VI. Suspen-
sus facibus ardentibus ustulatus est. VII. Vene-
num aceto temperatū pro melle babit. VIII. Con-
figendam utriusq; oculi pupillam obtulit. IX. Pe-
dibus attractus prono capite triduum pependit.
X. cum degluberetur, tyranno tamen insultavit.
Hæc invictâ patientiâ perpresso quid mirum est
bisenos Angelos cælo coronam attulisse, & mi-
norem insuper alteram pro CORONA militari fe-